AD NOBILISSIMVM DOMINVM GVILIELMVM COMITEM DEVONIÆ, &c.

De Mirabilibus * Pecci, Carmen

THOMAE HOBBES.

ALpibus Angliacis, *vbi* Pecci *nomine, surgit*
Derbensis *regio, montes ad sydera tollens,*
Fœcundasq; rigans, non vno flumine, valles,
Stat Chatsworth, *præclara domus, tùm mole superba,* Chatsworth. Mirab. 1.
Tum Domino, Magnis, celerem * Deroentis *ad vndam.* * Derwent.
Miranti similis portam præterfluit Amnis,
Hîc tacitus, saxis, infrà supràq;, sonorus.
At Mons terga domûs rapidis defendit ab Euris,
Ostendens longè exertis juga consita saxis,
Præfectoq; die, producens tempora somni.

A Summouet

Summouet a tergo rupes gratissimus hortus,
Pinguis odoratis vbi tellus floribus halat;
*Arbor vbi in medijs * syluis sibi libera visa,*
Dat fructus iniussa suos; vbi frondea tecta
Arboreis prebent inuito frigora sole
Porticibus, potiora tuæ (Maro) tegmine fagi;
Ars vbi (dissimulans artem) simulauit (ineptos
Consocians ferro lapides, guttáq; peresos)
*Informes * scopulos, & frigida fontibus antra.*
Libera natiuis *veniens a rupibus* vnda
Accedit positis, *patrio captiua metallo.*
Et tellure latens, duplicem iaculatur in orbem
Iussa, suum laticem, per mille foramina cæca,
*Et scopulum complexa tenacibus vndiq; * venis,*
Iussa fugat misso subeuntes desuper imbre.
Hinc auecta creat sublimem marmore fontem,
Atq; ingressa domum Promos conserua Cocosq;
Adiuuat; in medijs surgitq; penatibus, alto
Infundens nitidam manibus de marmore lympham.
Et quamuis tubulis tantùm effluat illa quaternis,
Non tam * Calliroe *pulchrè fluit* Enneacrune.
Reiecto paulum fluuio, sese ingerit horti
Angulus alterius, tecta alta a fronte videntis.
*Disposita in gemino collucent ordine * stagna,*
Immersum tremulis vndis quatientia solem,
Queis magno numero salit, & lasciuus inerrat.

* Prunetis in ipso horto, syluas imitantibus.

* Ambulationibus.

* Rupes arte compositas.

* Plumbo, quod in eâ regione, terra effoditur.

* Tubulis plumbeis.

* Fons Athenis facer, nouem effluens fistulis.

* Piscinæ.

Non

Non intellecto concluſus carcere piſcis.
Quàm iuuat, hîc, quoties piſcatrix candida prædam
Abijcit illectam, morem obſeruare puellis
Innatum, captare viros, & ſpernere captos!
Quam libet in medijs mirari fluctibus, alto
Aggere ſuſpenſos hortos. Quæ Cæſare moles
Digna, Cauendiſia certe eſt in gente, puſillum
Fœmineumq; opus. At quota pars ea, laudis Elizæ
Salopicæ? *quæ multa, & magna palatia ſtruxit;*
Magnas diuitias; magnamq; bonamq; parauit
Famam; quæ magnos ſibi conciliauit amicos,
Ornauitq; humiles; Multam, magnamq; reliquit
* *Prolem, qua regio latè nunc vſq; beatur.*
Quam dulce eſt, inter, circumq; nitentia ſtagna
Inſternente vias, æſtiuâ ſemper, arenâ,
Diſcipulum memet naturæ tradere rerum;
Aut Domino *exiguum meditari carmine* * Munus,
Et multum Muſis, deſcribere rura, rogatis.
Commodiore loco non vſquam habitare, nec vſquam
Candidiore frui Muſæ cenſentur amico.
Hinc, ad tecta, ſolo ſurgente, aſcenditur, Extrà,
Auguſta aſpectu, ſublimia, Regia; & intrà,
Commoda, culta, capacia, ſplendida, ditia tecta.
At tu marmoreis quæ ſint deſcripta figuris
Ficta Poetarum, priſcorum aut facta virorum,
Ne cures, duro nec certans marmore Gypſum.

* Comites *Denmiæ, Noui-caſtri, Kingſtoniæ,* nepotes *Comitiſſæ Salopienſis.*

* Hoc ipſum.

Ingenuos nec tu cupida numerare miniſtros;
Sed Dominum, mea Muſa, colas, cui gente vetuſtâ
Orto, dat titulos Deuonia, Derbia * *Curas.*
Acrem iudicio; conſtantem pectore; lautum;
Vtentemq; opibus, luxu ſine, & inter amicos.
Ille Chori veſtri ſummum decus; ille benigna
Otia dat Muſis; ſed & illi Muſa diſerto
Ore loqui, atq; animo ſecernere turpia honeſtis.
*Tum * Dominam ſpectes, altâ de gente* Bruſorum
Magnanimo proauos ſpirantem pectore Reges.
Amborumq; vide Sobolem, imprimiſq; * *Puellam*
*Dignam, qua caleant Superi, binoſq; * Puellos*
Angelicos, caſti communia pignora lecti.
Ho tu mireris; ſobolemq;, & vtrumq; parentem;
Cætera quæ referes miracula, ſunto minoris.
Alti *cenſentur ſeptem miracula* Pecci. *(bina.*
Ædes, Mons, Barathrum, *binus* Fons, Antraq;
Scilicet illæ ipſæ, quas iam memorauimus, Ædes
Ornatæ, tot ſunt inter miracula, primæ.
Intra has, de Reliquis orto ſermone quibuſdam
Eſt viſum, promptis rerum perdiſcere cauſas,
Et mihi (namq; operæ pretium eſt) ea viſere mira.
Anni tempus erat quo tellus fœnora ſoluit;
Et vitreum ſectis abſterſerat altus ariſtis
Iam Phœbus *rorem, cum tecto excedimus, Ipſi,*
Duxq, viæ, ſeruuſq; (ſed ille vicarius) vnus.

Egreſſi

* Præfecturam militiæ in agro *Derbenſi.*

* *Chriſtianam* Comitiſſam *Deuoniæ.*

* Dominam *Annam Cauendyſh.*

* *Guilielmum* nunc Comitem *Deuoniæ*, cum fratre *Carolo.*

Egreſſi auferimur portis, petimuſq; propinquam
Pilſley, *dein* Haſſop, *ſalebroſo tramite. Montem*
Hinc celſum, accliuemq;, gradu lento, & pede laſſo
Scandit equus, ſummumq; iugum mox calcat anhelus.
Conuerſi miramur aues iam repere ſegnes,
Atq; humiles claro tranſfigi vertice nubes.
Chatſworth *iam punctū*, Deroen *iam linea curua eſt.*
Vix iter inceptum ſequimur, cum leuia montis
Aſpicimus crebro lacerari vulnere terga,
*Latèq;, egeſtâ * liratim, albeſcere terrâ.*
Eſt ſublime ſolum, tenuiq; friabile glebâ,
Quod ne quando ſuâ poſſit ſubſidere mole,
Natura ingenito ſuffulcit prouida ſaxo.
At ſaxum innumeris diuiſit in ordine rimis,
Ater opum Dominus. Cunctaſq; ita ſolis ab ortu,
Duxit in occaſum, non vt ſenſiſſe calentem
Lampada Phœbæam, ſed & aſpexiſſe putares.
Condidit his ſulcis melioris cruda metalli
Semina, ſolari poſt perficienda calore,
Tutanda intereà duræ munimine rupis
Ditis *auara manus fruſtrà. Nam nec ſatis igne*
Concoquit obliquo Sol Plumbi terrea fruſta,
Nec cuſtodit humus ſibi credita. Viſcera terræ
(Certus opum quacunque latent regione repoſtæ,
*Inſidiator) homo, ferro peruadit & * igne.*
Saxea plumbiferæ reſcindit tegmina venæ,

Exhauritq;

* Ordinatim, nam ſeries fodinarum vnde hauritur plumbum, parallelæ ſunt. Anglice vocantur the Rakes.

* Nam ſaxum quo plumbi venæ continentur, eâ eſt aliquando duritie, quæ non niſi igne vincitur.

Exhauritq; , audax iam, paupertate iubente,
Tartarei prædo fiſcum ſpoliare Tyranni.
Haud impune aliquando. * Duos telluris in imo
Deprenſos gremio, Mors occupat, atq; profundo
Oppreſſos tegit ipſi quod fodêre, ſepulcro.
* Spiramenta (tubis ægrè admittentia * iniquis
Quos caſtigato detrudit inedia ventre)
Ligniculis intùs * vincit, venamq; ſequutas
Materie foſſas ſuſtentat, gnara pericli,
Atq; experta, diu iam gens damnata metallis;
Vt non incautos ſcires perijſſe, ſed Orco
Quæſitos. Terræ hic ſubducit fulcra caducæ,
Expreſſaſq; animas, vicinis congregat vmbris.
Corpora corporibus quærunt. Sic credita ſæpe eſt
Emiſſa amiſſam monſtraſſe ſagitta ſagittam.
Ante pedes vnum terrâ iacet ecce cadauer
Effoſſum; noſtriq; monet meminiſſe. Cadauer,
Marcida, iners, putris, noſtriq; ſimillima res eſt.
Alterum adhuc tectum tellure, * reſurgere corpus
Expectat. Sedet, egeſtæ ſuper aggere terræ
Turba ſupina locis ſpectatum egreſſa propinquis;
Ploranteſq; duæ muliere. Altera ſueta
Gaudia perdiderat; ſpem amiſerat altera dulcem.
Alterius flammã, longus reſtinxerat vſus;
Alterius, ſpes effræniſq; libido ſciendi
Fouerat ardentem. Plorant vtræq;. Maritum

* Contigit præter-euntibus nobis, e duobus, qui ruinâ foueæ oppreſſi fuerãt, vnũ extrahi, alterum quæri.
* Fouearũ ſpiracula.
* Arctis.
* Conſtringit, vt diſtineantur foueæ latera.
* quam ad opera damnauerat paupertas.
* extrahi.

Illa quidem luget; luget magis altera ſponſum.
De Ioranto. Via qua cœptum eſt pergimus ire.
Iam pede mille quater paſſus numeramus equino,
Et toties ſocium ſpatijs ſtes quilibet æquis
Præteriens, terram alterno precuſſerat ictu.
Anteit vmbra pedes, monſtratq; breuiſſima, * *qua ſtat*
Titan *parte poli, & quam nos ſpectamus euntes.*
Linquimus opidula hinc illinc plurima. Quorum
Poſtremùm tantùm Romanè dicere * Spes *eſt.*
Cætera non referam impedientia nomina verſum.
Per loca tranſuerſis longè latèq; fodinis
Plena, ſoloq; cauo, & pleno mortalibus intùs,
Ingredimur * *ſuperi; medio tonat vngula Campo*
Feſtinantis equi; atq; vnâ, aut paulo amplius, horâ,
Præcipitis ferimur ſubita ad decliuia montis.
Pronum erat hinc vicum ſubjectum intrare cadendo,
Sed nobis ambage viam & cauto pede tritam
Ire placet, primùmq; ad dextras Sole recepto,
Et mox conuerſi læuo deſcendere eodem,
Paulatim, & pedibus noſmet concredere noſtris.
Conſcenſis hîc rurſus equis, ſub Monte ſiniſtro,
Intramus pagum qui ſumma in rupe locatũ
Aſſectare jubet, * *deducto nomine, Caſtrum.*
Caſtrum non aliquo bellorum inſigne labore;
Non magnum; non artis opus; ſed habile; noſtris
Impar tormentis, nec inexpugnabile friſcis.

* Vmbra breuiſſima, ante pedes proiecta, arguit, & ſolem meridianum, & nos ad Aquilonem conuerſos.
* Hope.
* ſupra capita agentium ſubtùs in cuniculis.
* Caſtleton.

Antiquum

Antiquum tamen & ſaxo ſuperædificatum,
Suſtinet annorum, ventorum inconmoda temnit.
Forſitan & Dominis ſub plumbi-potentibus olim
Latronum potuit ſubitos arcere tumultus.
A Caſtro ſtatim mons ſciſſus, detumet ambas
In partes; velut inclinato Corpore noſtro
In crura extantes deturgent vtraq; clunes.
In medio ſinus eſt; atq; erectiſſima vtrinq;
Rupes, quæ ingenti reditura pondere terram
Diſtinet, & tutis ſuccedere ad intima præſtat.
Iam ventum eſt (pudet effari) * Plutonis ad anum,
(Vt vocitant plerique;) loci vocat incola, Peak's-ars.
Nobile ſuſpenſis aperitur rupibus Antrum,
* Ignoto tibi Phœbe loco, ſed ſegnibus Vrſis
Obuerſo, & reliquis mergi metuentibus aſtris.
In ſpeciemq; patet furni, vel qualiter Orci
Ora perhorrifico pinguntur hiantia rictu
Poſt Ite auditum, turbam ſorbentis abactam.
Sublimes intramus equis. Tecta intus, & altos
Suſpicimus cumulos, detonſi munera prati.
Sed * cœlum attoniti miramur ſaxeum; vt ingens
Suſtineat montis, nullo fulcimine pondus;
Laudamuſq; tuas æterne Geometer artes.
Cernimus & denſo colatam fornice lympham
Guttatim elabi, & ſolidâ tellure receptam,
Æquoream in patriam reditum iam nunc meditari;

* Orci culum. Angl. The Diuels Arſe. Mirab. 2.

* quò nunquam perſinguat radij ſolares.

* Lacunar ingens.

Iam

Iam nunc ex guis properare canalibus, vndas
Quærentem socias, & fortiùs ire parantem.
Iamq; Amnes, ipsis videor d dicisse magistris,
Non fieri, salsum terrâ potante, liquorem
Littora ad ipsa maris, quasi celsis montibus ipse
Celsior Oceanus conclusam expelleret vndam;
Sed mare Phœbæâ tenuatum surgere flammâ
In Cœlum; actumq; Æolijs errare ministris;
Mox Phœbo fallente algens, totâq; receptâ
Naturâ, in terras fletu descendere; & esse
Flumina collectas lachrymas. Placet ima cauernæ
Vmbrosæ, illatâ penetralia visere luce.
Descensos ab equis, antri virgunc̃la ciuis
Præcedit, formosa satis, nimiumq; puella,
*Datq; animos, gressusq; regit iucunda * Celeustes.*
*Primumq; ingressis * confuso lumine, sensim*
Accedunt cautes vtrinq;, diemq; recuruis
Extinguunt sinubus. Tùm demittentia sese
*Arcto * quadrupedes admittunt fornice saxa.*
Erecto rursùm, rursùm mox corpore prono
Pergimus, alternâ pecudes hominesq; figurâ.
Donec transuerso tandem prohibemur ab amne.
Amnem quem clausum fert sub tellure canalis
Hactenus, hîc humili patitur spirare sub arcu;
Exitq; interdum non irreuocabilis vnda,
Nunc speculatores propiùs, nunc longiùs arcens.

* vox nautica. hortatrix.

* misto, ex cœlesti & lychneâ.

* nos, penè prostratos.

Huc nobis, vltrà nulli licet ire. Nec eſt fas
Vetulæ ridicula narratio. *Credere narranti vetulæ de patre*, quod olim
Lychnorum ingreſſus librali faſce, fluentum
* Faciliùs tranauit quia minimè altum. Ridiculum. Tunc * modicũ tranauit, & vlteriora ſequutus,
Tantum iuit, quantum licuit remeare * timenti
* Noctem timuit in ſpeluncâ tenebroſiſſimâ. Ridiculum. Incidere in noctem. *Remeamus, & altiùs, antè*
Signatis, vda imprimimus veſtigia arenis.
Exuimus noctem, diaſq; recepimus oras
Cùm emerſis, ante ora, poli Mons, æmulus alti
Wam-Toz. Mirab. 3. *Tollitur, auulſo præceps ſeu fragmine murus.*
Defluere æternùm perhibent a vertice terram,
Nec tamen imminui montem. Mirabile dictu,
Conſtaret ſi certa fides. Sed acutus arenâ
Labente, agnaſcens tumulus, tacito indicat auctu,
Continuum hunc fluxum primùm cœpiſſe ruinâ.
Ingenti, æquatoq; habiturum culmine finem.
Quemq; vocant alij correpto nomine Wam toz
Rectiùs hũc Cliuũ videor mihi dicere Waimd-Toz,
Quod ſonat Angligenis Cliuus Mutilatus, *& ipſe*
Mons, nomen magnâ Mutilatus parte fatetur.
Progredimur, verſi ad lævam, duo millia paſſûm,
Deake Forreſt. *Ad ſeptam muris, dictamq;, ſine arbore,* Syluam,
Peccanam. *Ceruos nudis in montibus vrit*
Acris hyems, nullâ tectos à frigore fronde;
Sicca æſtas, nullâ tectos a ſolibus vmbrâ.
Sæua houinum, canibus ſocijs, laſciuia multos,

Multos

Multos ſæua necat varij inclementia cæli.
Et Fouea *abſorbet non magnam* Eldenia *partem.* Elden Hole. Mirab. 4.
Eſt ea terribilis ſciſſæ telluris hiatus,
Quem dignè vt memorem veterũ vndiq; conuoco fruſtrà
Concilium; nam tale nihil finxere Poetæ.
Tentandum tamen; & primùm quam formã habet oris
Muſa refer; formæ ſimili componito. Magno
Nam potes exemplo paruis componere magna.
Dic tandem; dic ſummiſſè ſoli mihi, in aurem.
*Obticet * obſcænæ ſibi conſcia virgo figuræ.* * Eſt enim Foueę os, formâ cunnocides.
In latere herboſi collis, paſcentia circùm
Deſtituens armenta ſolum, rimâq; ſecundo
Monte patens, auras atro inbibit ore ſequaces.
Quod procumbentes oculis de margine pronis
Cùm inſpicimus, vaſtum inſpectantes terret inane,
Subjectumq; horrens animus videt infinitum.
Et quamuis tutos iam ſecuroſq; tueri
Continuo ſtantes hortentur marmore ripæ,
Non animis eadem ſpondentibus, ora Barathro
Demimus, & diro regnatis Dite tenebris.
At lapides toto ſparſos conquirimus agro,
Verbere qui tandem per longa ſilentia miſſi,
Quis ſit eis doceant (ſi quis ſit) finis eundi.
Miſſi ſubſidunt lapides, feriuntq; cadentes
Cæcam (ſed longo feriunt poſt tempore) rupem.
Inde docent decies repetito verbere lapſi.

Deceptos decies necquicquam quærere fundum.
Tûm verò ardemus, ſi vis reſpondeat æqua,
Ingerere integras turres, & tecta (ſi adeſſent,
Et non angusto tellus nimis ore negaret)
Tota ſimul, totoſq; altos ibi perdere montes.
Quod licet, immani defixum pondere ſaxum,
Vi multâ eruimus, pronâ & tellure volutum
Siſtimus ad ſacrum limen. Tum talia famur.
'Vmbrarum præfecte Deus cruciatibus, Ecce,
'Securi noſtræ ſortis, certiq; ſupernæ
'Iampridem ſedis (ni nos tibi cohonor author
'Fallat) tormentum iam inuentis addimus vnum.
'Pone ſub hac rimâ, tibi ſiqua ſit vmbra rebellis,
'Inſigniſve fide violatâ. Subde *Sinonem*,
'Aut *Iudam* (*Iudam Iſcariotem.*) Subde *Gigantes*.
'Contriti fient Vmbrarum protinus vmbræ.
'At vos, ô animæ, quibus incaluere retentis
'Cognita amicorum, dilectaq; corpora nobis,
'Ferte pedem retro monitæ, & non temnite dicta.
Sic fati, lapidem demittimus. Ille per auras
Stagnantes, denſâ merſus caligine fertur
In ſcopulum. Gemit horrendum percuſſa Cauerna,
Colliſaq; cient alte ſuſpiria moles.
Excuſſum primo ſcopulus mox excipit alter,
Audito ſonitu nobis minùs, at magis Orco.
Territat arrectis iam ſtantes auribus vmbras

Tertius, atque minis quartus propioribus ictus.
Quid moror? vndeno, * *dentatum guttur Auerni*
Verbere dum transit, se & tunc lapis ire susurrat.
Post id, quicquid iners aër vix auribus adfert,
Non sonus est, sed imago soni. Vento ocyùs vmbræ
Diffugiunt, Erebiq; tegi sub fornice certant.
Interea infernas percurrit in ordine Spharas,
Descendens tacitè saxum. Confinia Ditis
Attingit, * *vacua euertitq; sedilia Patrum.*
Inde per intensum festinans labitur * *ignem,*
Candentesq; animas (tubulorum more recoctas
Fictilium, quos, transmissâ fuligine, pinguis
Infecit Peti fumus) cœloq; locandas.
Infantumq; * *semel natorum peruolat* * *orbem.*
(Inscius admissi, pœnas luit * *insciitia, infans.)*
Vltima tùm subiens, infandaq; Tartara, centrum
Transit (at hæsurum promiserat * Entelechia,
Credenda vmbra tamen) fundumq; ascendit ad imum.
Et redeunt trepidi Manes residente fauillâ;
Quos inter timet, & fert vnus Sysiphus ægrè
Successisse suo grauiori pondere saxum.
Fertur ad hoc Antrum venisse Lecestrius heros,
Dudleius, *notus comes is regnantis* Elizæ.
Ille inopem quendam paruo (sic credimus) ære
Conductum, & longo succinctum pectora fune,
Instructum conto, Pelleam imitante Sarissam,

Exploratores

* exertis cautibus asperum.

* nam Limbus Patrum iamdudum vacuus.
* Purgatorium.

* non regeneratorũ.
* Limbum.
* pœnas, non sensus, at damni.

* Vmbra *Aristotelis.*

quibus decidentis exploraret foæ altitudinem.

**Exploratores cophinoq ferente lapillos*
Demitti, & mediâ iuſſit pendere Cauernâ.
Inde iaci lapides, atq; auribus aëra pronis
Captari, inde cauum propiùs ſcrutarier altum.
Deſcendens pauidè miſer, accedentia ſaxa
Nunc remouet conto, nunc deſiliente lapillo
Calculat immenſum ſpatium, numeratq;, quot ictus,
Tot mortes; & fila timet pendentia vitæ,
Ne quis laſciuus ſecet, iniuſſuq; Sororum.
Poſtquam bis centum ſub terram circiter vlnas
Merſus ſubſtiterat, funemq; tetenderat omnem,
Satq; diu tenſo de fune pependerat, Antro
Extrahitur, cupido Heroi reſponſa daturus.
Verùm, ſiue metus mentem expugnauerat ingens;
Siue celer motus torti vertigine funis
Immodicâ, Solio Rationem excuſſerat alto;
Siue Erebi, ſiue ipſa ſui iam ſpectra timoris
Pallida terruerãt; ſiue arcem mentis abactæ
Spiritus inferni poſſederat improbus Orci;
Haud dubiè furit infœlix. Sic lumina torua,
Mutatuſq; color, pallor, tremor, omnia monſtrant.
Ergo ubi non cuiquam intellecta profuderat, & quæ
*Æquabat magnis *ſententia nulla Prophetis,*
Conticuit, Maneſ; dies poſt octo reuiſit.*
At Comes *audito quo* pertinet vſq; Cauerna,*
Horruit, & (non hâc, neq; nunc ſubiturus) abiuit.

* quia ea loqui quorum nulla eſt ſententia, commune eſt vatum, inſanientiumq;.

* mortuus eſt a *Phreueſi.*

* pertingit, ſcilicet ad Inferos.

Hinc

Hinc centum paſſus decies numeramus, & ecce,
In valle occultâ, radicibus exilit imis
Graminei Collis, gemino Fons ore perennis.
Quem quoniam immenſi mirandos æquoris æſtus
Ludere in exiguâ fama affirmauerat vndâ,
Viſum eſt (quantumuis Phœbo properante) morari
Pauliſper, ſi forte aquulæ miracula detur
Aſpicere admotis, & famæ teſtibus eſſe.
Quæ vitreis ebullit aquis tremula vnda, duarum
Major, ſplendidiorq;, & poſcens ſola videri,
Excipitur puteo, ſtructis non æquiparando,
Sed qui fortuito quouis ornatior ortu eſt.
Inde ſoluta fluit, niſi quæ fundo retinetur
Lata duos cubitos, tres longa, vnumq; profunda.
Vnum dico ſuo quando contenta liquore
Subſidet, at binos quando hoſpite tollitur vndâ.
Labra reclinatæ ſignabat ſaxea ripæ
Linea, quam latices ipſi fecere tumentes,
Subnigris ſaxis modò detumuiſſe reperti.
Ergo ceſſatos iterùm expectare labores
Tædet, & improbius viſum eſt. Diſcedere prorſus
Admotis properamus equis. Iam iamq; abeuntes
Concuſſis reuocamur aquis. Liquidoſq; videmus
Attolli latices, ſenſimq; irrepere ſaxis.
Iamq; ferè pleno ſaltabat feruida fonte
Lympha, velut rabidus cùm ſubditur ignis aheno,

Fons æſtuans, Mirab. 5.

Neſcia

Nescia stare loco, refugit sæuum vnda metallum,
Cùm iuxta fontem, condicto riuulus ortu
Erumpit subitò, superinfusoq; liquore,
Præstat aquæ solitos auctæ contingere fines.
Quo perducta, iterùm decrescit, & illico riui
Desuper immissi restinguitur impetus, & quæ
Resperuerat, repetit sitiens sua pocula Tellus.
Distracti laticis pars effluit altera ripis
Fontis; pertuso infertur pars altera fundo.
Furtaq; muscosis erepta leuissimæ saxis,
Graminaq; & paleam & tenuis præsegmina chartæ,
Siue aliud quicquam paruâ superabile lymphâ
Inijcimus, rediens infert in viscera terræ.
Iamq; humili fonti, proprius vix consistit humor,
Cùm redeunt fluctus; Iterùm seu febre laborat
Vnda tremens; iterùm æstuat; auctaq; lymphis
*Externis, iterùm * tropicam contingere metam*
Sufficit, accepto velans sua littora fluctu;
Atq; iterum residet. Sed nos vetat vmbra morari,*
Vmbra giganteas mentita Colossea formas.
Maturamus iter, sed quærimus inter eundum,
Conamurq;, omni collato discere signo,
Abdita quæ tantum conciuit causa tumultum.
Nam neque Salsedo, neq; quid commune marinis,
His reperitur aquis; Phœbes nil imputat astro
Fons hic, temporibus nec tollitur (vt mare) certis;

* quo prouecta solebat decrescere.

* Solis iam occidentis.

Æstibus

Æstibus his nullam præfigit Ephemeris horam.
Ergo quid in causâ est? Paucis sic accipe. Prodit
Quæ tellure cauâ, fontiq; illabitur vnda
Aduena, non istûc proprio delata canali
Peruenit, atq; volens alienos occupat ortus.
Sed dum ductricis sequitur vestigia lymphæ,
Longinquoq; petit, per terræ viscera, fontes,
Intrat in angustis subeunda meatibus antra.
Huc quoties humor tumefactâ defluit vndâ,
Præcipitiq; aditum comprendit flumine totum,
Protinus aura locum concluſa tuetur, aquisq;
Pernegat ingressum, nec habens quò cedere, pugnat.
Vtq; est deprensâ nihil obfirmatius aurâ,
Sustinet vrgentes exili corpore lymphas.
Tùm, conferta velut si portis irruat arctis
Turba, hærent, ipso defixi in limine, primi;
Quæ sequitur stat pro foribus stipata caterua,
Parsq; vrget socios, alias dilabitur & pars
Quæsitura vias: Excluſus defluus humor
Intumet, impatiensq; moræ, expatiatur, & errans
Fertur in hunc fontem, lentarum impulsor aquarum.
Hinc fit post magnos guttis pluuialibus imbres
Transmissis, æstus fieri crebros, & in horas,
Fluctum (vt nunc) vicibus tolli, & subsidere ternis.
Sed post continuis tellurem ardoribus vstam,
Vix semel in toto cerni hæc miracula mense.

Iam noſtros fugiens viſus, Auriga dieì
Antipodas totâ luſtrabat Lampade; nobis
Languida ſuccenſæ præbebant lumina nubes.
Et ſimul ad celebrem tepidis deponimur vndis
Buxtonam. Diuæ ſacer eſt fons inclytus Annæ:
Ambas miſcet aquas calidæ gelidæq; miniſtra
Tellus; ſulfureiſq; effundit Pharmaca venis.
Hæc reſoluta ſenum confirmat membra trementum.
Et refouet neruos lotrix hæc lympha gelatos.
Hûc infirma regunt baculis veſtigia claudi,
Ingrati referunt baculis veſtigia ſpretis.
Hûc, Mater fieri cupiens, accedit inanis,
Plenaq; diſcedit, puto, nec veniente marito.
Excipitur, fermè quadrato fonte, ſerena
Naſcens vnda, & quinq; pedes vehit alta natantes.
Spectator muris, & tecto excluditur imber.
Hoſpitioq; eadem gratiſſima balnea noſtro
Conjungit foribus paries communis apertis.
Ergo † lacet, coquitur dum ceſpite cœna cremato,
Defeſſos lymphis refouere tepentibus artus.
Protinus exuti, nitidis illabimur vndis,
Nudaq; perſpicuis velamus corpora lymphis.
Nunc facie pronâ namus; nunc nare ſupini
*Tentamus. *Bibimus. Nec enim omnia poſſumus omnes.*
Poſtquam vexatis per totam fluctibus horam
Luſimus; egreſſi ſiccis lodicibus vdi

Induimur

* Buxton Meli. Mirab. 6.

* indocti nare, aquã imbibimus.

Induimur. Mox quisq; suo vestimur amicta.
Vestitos stratis expectat cœnula mensis.
Nox atra interea simul euolat omnibus antris.
Et victrix tenebris inuoluerat omnia cœcis,
Donec succensis infertur cœna lucernis. Cœnula.
Iam nobis lixæ *non integra balnea* ouillæ,
Sed modicum iuris, * *consultis ponitur. Ipsa* Ius.
Tùm caro * *conditis thermis educta, seorsim.* * Interrogatis, an apponi placeret.
Atq; ouis *ejusdem fumans a cuspide* * lumbus. * ouilla elixa, iuscnlo extracta.
Et nuper rupto gallinæ * filius *ouo.* * ouillæ assatæ.
Pisaq *quæ nobis conuerrat cochlear vncta.* * pullus,
Ditia cùm frustrà quærantur pocula Bacchi, Pisa.
Ollâ subridens bibitur ceruisia *nigrâ.*
Cœnati peto *somnos arcessimus hausto.*
Postera Phœbæos ducens Aurora triumphos
Nondum vulgares Cœlo dimouerat ignes,
Cùm somno excusso tepidis immergimur vndis
Rursus, & inficimur penitus medicante liquore
Iam dibaphi; atq; iterùm rorantia corpora lectis
Reddimus, & nonâ de somno surgimus horâ.
Vnica restabat, verùm dignissima visu,
Haud procul hinc Spelunca Poli, *sic dicta Cauerna.* Pooles Hole. Mirab. 7.
Insignis latro Polus, *&, si credere famæ*
Debemus, furi par Caco, & forte coæuus,
Hac vsus latebrâ consuetit viuere rapto;
Atq; viatores spoliandos ducere in Antrum.

Verum & ei ſolenne fuit coniungere furtis
Cædem; Sic texit ſcelera authoremq; Cauerna.
Hanc inſpecturi penitùs, ductore perito
Cæcarum aſſumpto imâ ſub tellure viarum,
Eximus, pedites collem petimuſq; virentem,
Diſtantē noſtrâ vix paſſus mille tabernâ.
Ipſas ad montis radices, concaua tellus
Proſtratis aditum pertuſa foramine præbet
*Exiguo, minùs at præmiſſis inuia * plantis.* * pedibus.
Omnes cancrino greſſu, ſumptáq; lucernâ
Quiſq; ſuâ, tandem tranſmittimur, erigimurq;.
Antrum, horrendum, informe, ingens aperitur. Et atra
Diuiſa in partes nox diſſilit atrior ambas.
Aſperaq; apparet Latronis, *& horrida Saxis*
Regia. Percuſſum rutilo micat igne lacunar.
Progredimur. Pedibuſq; admoto lumine cautis,
Saxa ingentia, roſcida, lubrica, & ardua ſcanſu,
Libera, corruitura ſemel, nunc ergo timenda,
Saxoſaq; feros montes valleſq; Cauernæ
Tranſimus; fluuiiq;, ſuas qui diſſipat vndas
Cæcus in objectas impingens murmure rupes.
Qui ſcandet rauco ſurgentē a flumine montem,
Ille licet ſudetq;, pedeſq; manuſq; fatiget,
Diſſita ab introitu ſtadijs tribus, vltima opaci
Pertinget (multo nobis audācior) Antri.
Speluncam *hanc credas habitatam Gorgone primùm*

Angui-

Anguicomâ; & versa in rigidum sic omnia Saxum.
Nam lapis est, quodcuncq; vides. Laquearibus altis
Quæ sicci tibi terga Suis tendere videntur,
Dentibus haud cedent. Durum sunt vtraq; saxum.
Non est ille Leo, Leo, quamuis erigat hirta
Colla iubâ, sedeatq; Antri ferus incola cæci,
Sed fuluus lapis. Ille Senex qui rupibus aspris
Innisus recubat cubito, pars rupis & ipse est.
Quæque lacunari scintillant Astra micante,
Sunt nitidi illatâ gemmantes luce lapilli:
Guttaq; quæ saxi mucro nunc pendet acuti,
Numquid & illa lapis? lapis illa vel est, vel erit mox.
Admoti exceptam digito deprendimus esse
Nec lapidem, nec aquam, verum mediâ inter vtrũq;
Naturâ, qualiq; tenax humore farina.
Detinet intentos dum * transfuga lympha, lucernæ
Curtæ perplexâ suadent exire Cauernâ.
Sed priùs ad læuam remeantes, vndiq; saxo
Obductum plano, Furis, nulloq; madentem
Rore Poli thalamum, lecti, lasaniq; capacem,
Inspicimus. Superis tum demum reddimur oris.
Iam tepido fessos sudore rigauerat artus,
Scandendiq grauis labor, & formido cadendi.
Reptantũq; manus obleuerat humida tellus.
Verùm ante ora specus turba officiosa, lauandis
Præbebat manibus permistam floribus vndam.

* transfugient a naturâ aqueâ ad saxeã.

Scilicet

Scilicet exigitur tacitè pro munere nummus.
Rectè. Namq; hærent sordes vtcunq; lauemur
Ni (quamquam leuibus) referatur gratia donis.
Omnia iam Pecci *Miracula vidimus* Alti,
Buxtonamq; *iterùm perlatis, & citò pransis*
Adducuntur equi, nos qui inter nubila vectos,
Sollicitèq; decem numerantes millia passûm,
Per non insignes Chelmartō, Sheldō *&* Ashford,
Ad Chatsworth *referūt, celerē* Deroentis *ad vndam.*

FINIS.